

AD IACOBUM MAGNAE BRITANNIAE &c. REGEM PANEGRICUS *

v.1 Cui nymphae nova plectra parant ? Cui praeses Apollo
 2 Castalidumque deus tantos convolvit honores ?
 3 Hic laudes, rex magne, tuas, sacrandaque saeculis
 4 nomina, Maeoniis quae vix memoranda Camenis,
 5 pectine Pierio, et ter centum ingentibus ausis
 6 mens avet, et toto vivum te involvere caelo.
 7 Unde autem incipiam, quo sit mihi fine tacendum,
 8 quae medio dicenda loco, quis denique versus,
 9 ordo mei ponendus erit, quae prima tuarum
 10 hic surgat graviore tuba supra aethera laudum,
 11 totus ego dubito, sensusque abrumpor in omnes.
 12 Scilicet an potius prima hinc exordia sumam,
 13 quod tibi tercentum vinculis constructus aenis,
 14 sub pedibus jaceat fremebundo pectore Mavors,
 15 inque vicem Pax alma sacros turrita capillos
 16 arte triumphantem meritis te immisceat astris ?
 17 An vero eximias dicam finxisse Camenas
 18 in templis tibi corda suis ? Quod maxima Pallas,
 19 et Charitum jucunda trias frontemque animumque
 20 ornarint, geminas vel quod Suadela mamillas
 21 lactandas olim dederit, quod gutture in imo
 22 Attica mellificarit apis, quod sibila serpens
 23 poneret, arrectas tollens ad sidera cristas,
 24 mellitos vocum globulos dum audiret ab ore,
 25 rex Jacobe, tuo ? Verum sunt hisce priora
 26 virtutum monumenta tibi, majoraque laudis
 27 argumenta tuae, seu celsam a sanguine mentem,
 28 seu magnum memorare genus, quodve ordine longo
 29 centum et sex numeraris avos in stemmate reges,
 30 qui per tot palmas, redimitaque tempora lauris,
 31 sceptrata invicta tibi dederant. Sed et ista parentum est
 32 gloria, majorum laudes, sed in ordine laudum,
 33 quae tibi debentur minimas censemus : in illo
 34 parvus honos cujus virtus in origine sola.
 35 Nempe super titulis et avito stemmate scandis
 36 dotibus ipse tuis animi, sic fulgure rerum
 37 praecellis, sic voce vales, sic mente triumphas,
 38 ut nullos tibi si radios in origine splendor

39 nobilitasque darent, generi celsissimus ipse,
 40 ipse tuo lucem cum nobilitatis honore
 41 praeberes : tanta est quae aeternum in pectore spirat
 42 ipsa tuo virtus : qualem si pristina quondam
 43 saecula novissent, heroas Graecia nullos
 44 jactasset, nostras numquam venisset ad aureis
 45 Aeacidae immortale decus, non gloria Ulysseis ;
 46 Laomedontaeum siluisset barbara germen
 47 Troja suum : nullos Alcmenae excelsa labores
 48 sensisset soboles, nec enim Saturnia Juno,
 49 aut angues misisset atrox, aut bellua Lerna
 50 vertice centeno crebros crevisset ad ictus,
 51 aeripedem numquam memorassent Maenala cervam.
 52 Nobis nulla horum sparisset pagina famam
 53 Herculis in laudes, tum si fortasse fuisses
 54 in terris, Jacobe, tuus sed et Herculis iste
 55 vicisset clavem calamus, tuque unus in ore
 56 pro cunctis rex magne fores, ipso Hercule major.
 57 Scilicet Alciden solo pro robore rumor
 58 sustulit, et celsis morientem immiscuit astris.
 59 Tu vero Fatorum expers, quo clarius usquam
 60 nil prior, et praesens, nil postera sentiet aetas,
 61 jam gemina virtute cluis. Nam in corpore vires
 62 ut sileam, generose, tuas, et corda virili
 63 apta animo frontemque, grave vultumque verendum,
 64 brachiaque et triplici vallatum robore pectus,
 65 quis dotes animi, mentisque arcana remittat ?
 66 Ingenii quis facta tui depingere versu
 67 Pierio se posse putet ? Describere vates
 68 munera Cecropiae poterunt, citharamque Lycaei,
 69 et virgam Tegeaeque tuam, sacramque juventam
 70 virginis Astraeae. Verum quot in aequore <guttae> (vers lacuneux)
 71 quotque habet astra polus, quotque aurifer Hebrus arenas
 72 promptius enumerent, celsa quam mentis in arce,
 73 dicant, magne, tuae quae dona inclusa recumbant.
 74 Hinc Pietas, hinc sancta Fides, hinc Gratia puras
 75 stat tibi fusa comas, placidoque in pectore regnant.
 76 Illinc Relligionis Amor, Prudentia rerum,
 77 Majestasque sedent. Simul est Clementia dulci
 78 voce sonans, totam veneranda Modestia sese
 79 exerit in faciem, Ratio penetralia mentis
 80 quae tenet, in medio virtutum excelsa refulget.
 81 Qualis ab Oceano rutila dum lampade Phoebus
 82 surgit, et auroram roseis advectat habenis,
 83 igneus ille micans nubes dissolvit opacas
 84 adventu propiore, poli dum extrema pererrat
 85 culmina, tum cessant tempestatesque sonorae,
 86 et pluviae, et venti, madidas in carcere pennas
 87 Aeolus exsiccat, nulloque exercita motu
 88 caerulea pacantur : sic nec metuenda colonis
 89 arva, nec ignavis undarum injuria nautis,
 90 haud aliter, rex magne, tuo quae celsa cerebro
 91 conscia mens recti recta ratione tumentes
 92 affectus in corde domat : jactantia primum
 93 cedit iners, fugiunt irae, non aequa recedit
 94 asperitas, simulac et vana superbia torvos

95 pergit ad Hesperios, Siculasque adnavigat oras
 96 turpis avaritiae fervor, neve audet ad aulam
 97 pectoris accelerare tui. Contraria virtus
 98 non sinit ; illa tuis sic insidet ima medullis,
 99 sic altum erexit circum praecordia ramos,
 100 ut jam vitales rursus si carperet auras
 101 Attalus, haud ullis tibi condicionibus umquam
 102 certaret. Licet hunc tantum est mirata vetustas
 103 munificum populos inter gentemque Latinam,
 104 ut nunc ille hominum volitet redivivus in ore
 105 invita invidia, et tenebroso gurgite Lethes,
 106 et longa annorum serie, tu clarior illo
 107 ibis in exemplar, saeculis venientibus olim
 108 admirande magis tanta hac virtute, nec ulla
 109 vis fati poterit tam celsum exstinguere nomen.
 110 Sic ubi te seris dederit mea pagina saeculis,
 111 clara peregrinas imitandaque facta per oras
 112 illa tua exponet, tali tum turba nepotum
 113 te super inde frequens tandem sermone profetur.
 114 "O saeculi flos ille tui, vernantia in aevum
 115 cui folia haud ullas timuerunt grandinis iras,
 116 non Boreae rabiem, non formidanda Tonantis
 117 fulmina, terrigenumve minas, non frigida brumae
 118 signa, nec ardentes quos Sirius evomit aestus !
 119 Flos horti nitor ipse tui, flos cujus odorem
 120 ambrosium, cujus spumantes nectare succos,
 121 cujus inexhaustum prima a radice saporem
 122 senserat extremas qui terrarum incolit oras,
 123 vive diu, semper vernos indute colores,
 124 Idalia depicte manu, flos gloria florum
 125 vive diu, et nostrum ut novit tua nomina saeculum,
 126 saecula cuncta tuas sic discant dicere laudes."
 127 Magne heros nostris major conceptibus, haec sunt,
 128 haec sunt illa olim quae de te sera nepotum
 129 turba feret. Tales nostra memorante Camena
 130 proferet illa sonos, et tu per saecula vives
 131 omnia, vel certe virtus nisi nomen inane est,
 132 seque perire sinet, nec erunt sua praemia factis
 133 heroum, et nullis caelum decorabitur astris.
 134 O me mole nova tum vectum in sidera vatem,
 135 hos ego dum titulos, tantarum et pondera rerum,
 136 tam celsos virtutum apices et culmina laudum
 137 expediam meliore sono ! Si Thracius Orpheus
 138 tunc mihi certaret, vel et ipso iudice victum
 139 se ferat : haud versus (fateor) gravitate, chelysve
 140 eloquio (nam quis te, rex Jacobe, sonaret
 141 digna, licet citharae nervos pulsaret Apollo ?),
 142 Sed gravitate rei : sic nobis gloria lauri
 143 major erit. Nisi me vano deluserit ore
 144 Phoebus, erit nobis heros laus altior unus
 145 quam cuncti heroes quos olim evexerat Argo
 146 Threicio vati, quamvis ratis incllyta caelo
 147 jam donata suo, rutilantes torqueat ignes.
 148 Tu quoque fulgentes radios mutatus in astrum
 149 membra suum caeli per templa ardentia volves.
 150 Et veluti audaces qui verrunt caerula nautae,

151 nocte sequi Cynosura, tuam, qua vertere, caudam
 152 non dubitant, Jacobe, tuam sic luce refulgens,
 153 et sublime caput toto simul orbe sequetur
 154 postera progenies. Alios sic annus honores
 155 exposcet, cupientque novos tua nomina menses.
 156 Sic Jacobaeus dicetur Julius, et sic
 157 in nova perpetuae surges praeconia famae.
 158 Quae quid ego demens mediter, quae nostra cupido est,
 159 carminibus numerare meis ?
 160 Ergo sat est voluisse : tibi si grata voluntas
 161 nostra erit in tenui, de te, rex magne, movebo
 162 postmodo majus opus. Si haud omnia dixero, saltem
 163 plura feram, majora canam, graviore sonabo
 164 pectine, sive canam quoties, rex optime regum,
 165 te non nequicquam fatorum immobilis ordo,
 166 divina moderante manu, tot casibus actum,
 167 ereptumque malis nostro servaverit orbi,
 168 sive quod optatas properantem in luminis auras,
 169 et vel adhuc sancto naturae in carcere clausum,
 170 seditiosa cohors Satanae te immanibus ausis
 171 tentarit, cupiens insontem exstinguere vitam,
 172 quove Bothallaeos superaris Marte furores,
 173 teve ut non cautum demens invaserit hostis
 174 Gowrius, utque impar tecum congressus, arena
 175 stratus, et ut justas dederit tibi sanguine poenas
 176 utque etiam (res mira, novis memorandaque fastis !)
 177 Teque tuosque omnes Satanae malesana propago
 178 pulvere sulphureo conata est tollere frustra,
 179 denique sive canam sub te modo principe pacem
 180 florere, et molles veluti turrita capillos,
 181 te colat alma Themis, merito et perfundat honores.
 182 Atque ita conabor tanti me carmine tandem
 183 tollere humo, vulgique simul volitare per ora,
 184 qualis Idumaeas qui dat tibi, Mantua, palmas.
 185 Sic si, magnanime heros, mihi pro talibus ausis
 186 des Maecenatem, nosces non deesse Maronem.

*Cette pièce est la dédicace des *Centuriae*.